

lum repudii publicè dedissent, passim plus reverentiæ, & submissionis Pontificibus deferre, saltè exterioribus solitos, quàm Quesnellum. Innocentio scribebat Pelagius: *Hæc est fides, BEATISSIME PATER, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quanque semper tenuimus, & tenemus, in qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum sit, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes.*

Cœlestius à duobus Conciliis damnatus, recurrit ad Zosimum Pontificem, libellum offerens hoc specioso exordio: *Si fortè ut hominibus, quispiam ignorantie error obrepsit, vestrà sententiã corrigatur.* Videri de hoc potest S. Augustinus lib. de Peccato Originali cap. 7. Dein interroganti Zosimo, num se Innocentii decessoris sui sententiæ submitteret, *Beati Papæ Innocentii se literis consentire professus est*, apud Augustinum ibidem: & lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. *Imò apud Paulinum lib. Gratulat. ad Zosimum Cœlestius se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promittit.* Ibid. *Beati Papæ Innocentii literis non est ausus obistere:* ausus est pridem Quesnellus plurimum, ut vidimus, Pontificum Decretis repugnare, & apertè audet in hac epistola contemnere Decretum CLEMENTIS XI. contra librum *Observationum Moralium*, contra quod aliàs quoque scripsit absurdissimos *Dialogos*. Nusquam verò obedientiam addicit, nusquam præstat. Quam non Leoni Pontifici Eutyches promissit, ut ex ipsius Leonis ad Flavianum datis literis manifestè colligitur? Eam Urbano VI. pollicitus est Wicklessus apud Sanderum lib. 7. de visibili Monarchia, ita scribens Christi Vicario: *Gaudeo planè detegere cuiusque fidem meam, & specialiter Romano Pontifici; quia suppono quòd, si sit Orthodoxa, ipse fidem meam humiliter confirmabit; & si sit erronea, emendabit. . . Volo humiliter etiam per mortem, si oporteat, emendari; & si in persona propria ad votum potero laborare, vellem præsentiam Romani Pontificis humiliter visitare.*

Fraudulentum quidem visitandi Pontificem desiderium imitari visus est Quesnellus; sed non submissionis, atque obedientiæ professionem; quamvis & ipsa in Wicklesfo subdola fuerit. Non minùs epistola Lutheri, quæ Thesium suarum Analysin Leoni X. dicavit, præ se ferre visa est reverentiam erga Christi Vicarium; multò etiam magis

submissionm, atque obedientiam, quàm Epistola Quesnelli. Lutherus ait: *BEATISSIME PATER prostratum me pedibus TUÆ BEATITUDINIS offero cum omnibus quæ sum, & habeo. Vivifica, occide; voca, revoca; approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsentis, & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mortem non recusabo.* Perspicit hic Quesnellus se obedientiæ erga Pontificem professione vinci vel à pervicacissimis hæresiarchis; quam quidem in illis infidam fuisse eventum docuit, uti & omnem Quesnelli contentam verbis ambiguis venerationem.

Ulebergius in vita Lutheri ad annum 1518. *Quæ, inquit, paulò post secuta sunt, restantur, cum hæc submissione nihil aliud spectasse, quàm ut captaret favorem hominum, atque interim, dum res suas stabiliret in Germania, Summo Pontifici glaucoma objiceret, aut fumos, quod ajunt, venderet.* Quid aliud de Quesnelli epistola judicare possumus, quàm ideo scriptam esse, ut post Pontificiam de propositionibus sententiam typis ederetur, fundamentum qualecunque præbitura schismaticæ quærelæ, & protestationi, quæ nuper in lucem prodit summo Ecclesiæ scandalo, & funestioris prælagio tempestatis? Stabilitis scilicet Quesnellus rebus suis in Hollandiã per Antipapales aliquot novæ Ecclesiæ Missionarios, nunc curas impigre extendit in Gallias, ubi jactum pridem novæ hæreseos semen, quod paulatim, sed propter metum Potentissimi Regis subtimidè radices egerat, post ejus obitum metu aliquantulum remittente, incrementa sua liberius ostentat.

Et quidem pluribus apparet hodie ea novitas tanto firmata robore, ut instar proceræ arboris insectere eam nulla vis possit, excindere sit perdifficile, exurere fortè periculosius. Verùm non est abbreviata manus Domini, & quod impossibile hominibus, Deo facillimum est. Quidquid evenerit, excidere Christi promissum non potest, nec ulla inferorum vis adversùs Ecclesiam prævalere: terra, quibuscunque concussa motibus, in æternum stat; sic fundata supra immobilem petram Ecclesia; quæ, si quid alicubi inundatione forsitan deperdere visa fuerit, alibi sua damna alluvionibus refarcit, subinde etiam cum sænore. Sed nos ex his salubris pedem referentes expectat propugnanda magis cominus Apostolica Sanctio.

FINIS PROLEGOMENORUM.